

GERALDI CADURCENSIS EPISCOPI

EPISTOLA

AD FRIDERICUM IMPERATOREM.

Orat imperatorem ut e carcere eum a militibus detentum liberari jubeat.

(D. DACHERY, *Spicil.*, in-4, t. II, p. 403.)

FREDERICO Dei gratia triumphatori et glorioissimo Romanorum imperatori, et semper augusto, GERALDUS Cadurcensis dictus episcopus,

Parere subjectis, et debellare superbos.

Ex quo, serenissime princeps, in festo Dominicæ Nativitatis apud Albam celebrati gaudii coronæ vestræ me sublimitas vestra interesse voluit et honnore, eamque mihi excellentiæ vestræ conferre gratiam, ut inter alias benignitatis vestræ indicia, litteras etiam securitatis per universum imperium vestrum et ad omnes fideles vestros, mihi dignati satis concedere, tantum circa magnitudinem vestram fidelitatis concepi fervorem, ut nihil possit esse, quod honori et beneplacitis vestris consonet, ad quod parvitas mea non sit per omnia prona, et in omni puritate cordis promissima. Cumque tunc ut per vos haberem regressum sublimitas vestra mihi imposuisset, et in Ramis palmarum apud Placentiam aspectui vestro me presentasse imperialis magnificentia in tanta gratiæ vestre benignitate me suscepit, et dimisit, ut sicut charissimo domino suo fidelis famulus fuerim honori vestro extunc obnoxius factus, et pro viribus obligatus.

In hoc itaque fidelitatis proposito constitutus, contigit quod ad visitandum quemdam consanguineum meum vicecomitem, Eborum nomine, qui a Jerosolymis rediens apud Sanctum Benedictum de monte Cassino infirmabatur, ad partes illas irem. Qui, cum esset jam mortuus, quia dominus rex Francie, consanguineus vester, mihi dixerat quod ad curiam, ad quam dominus Pavembergensis pro reformanda pace Ecclesiæ ex mandato vestro, et dominus Mendensis de beneplacito vestro ab eo missus erat, accederem, visurus quid de ipsa pace factum esset; per curiam illam transivi, volens satisfacere et domino marchioni Montisferrati, qui mihi fidelis suo, quedam negotia sua imposuerat. Cumque inde redirem, a Coitrado nuntio vestro, et marchione Marchiae Guarnerii, nullas prorsus litteras habeus, captus, et sub custodia detentus, cum quibusdam clericis et monachis de regno Francorum et Anglorum, non divitibus quidem, sed de nobilibus ecclesiis, qui omnes sub spe pacis Ecclesiæ perreverant, quam et ipsi similiter faciam esse

A audierant. Inter quos, etsi aliqui litteras portarent, nihil tamen contra honorem vestrum, sed tantummodo ecclesiarum suarum justicias continebant. Ad pedes igitur imperialis misericordia prooluti majestatem vestram suppliciter exoramus, quatenus dignationis vestræ miseratio me et quedam consanguineum meum vicecomitem de Albucione, illius terræ marchionem, atque omnes alios cum honore et integra restitutione ablatorum faciat liberari. Religiosi siquidem sunt monachi et clerici, et in via ista qua ambulabamus absque dolo et malitia euntes sub spe pacis, quam factam esse audierant, qui nihil quod vobis credant contrarium volentes, si per alium super alios gravaminibus justitiam assequi possent, ad eum utique libertius issent. Iteratis itaque et lacrymosis precibus ad pedes serenitatis vestræ provolvitur, imperatoriam humiliter flagitantes misericordiam, ut amore Dei, intuitu domini marchionis Montis ferrati, et domini comitis Sancti ægidii fidelis vestri, in meam liberationem aperiat pietas vestra oculos suos super me, et alios concaptivos, quatenus super hoc Deus vobis retribuat, et nos, qui ab omnibus principibus Gallicani regni multiplices faciemus vobis gratias reddi, semper pro incolumitate vestra orare, et fideliores debeamus existere. Ad hoc, benignissime principum, celsitudinem vestram exoro, ut litteras illas securitatis ad omnes fideles vestros, quas mihi olim concessistis, non quidem momentaneas, sed sicut C credidi perpetuas, et nunc elargiri, et mihi velitis transmittere, quatenus pro tali gratiæ vestræ arguimento imperii vestri non solum fidelissimus, sed et famulus efficiar devotissimus. Liberalitas autem vestra nullam diminutionem in liberatione nostra inveniet, sed id ad augmentum nominis et gloriæ vestræ plurimum poterit provenire. Statim enim ut captus fui ad majestatem vestram appellavi, me et mea, ac socios meos sub protectione vestra constituens, fidei jubere volens, quod recto gressu antequam ad propria redirem, vestro me conspectui praesentarem mandatis vestris pariturus. Tantum enim de gratia quam mihi dedistis confidebam, ut mihi benignitas vestra indulgeret, si iu aliquo nescienter peccasset.